



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Nobili Viro Henrico Comiti Maltæ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20020

excommunicationis interminatione vetantes ne huiusmodi peregrini opus itineris salutatis mutantes, in vā damnabile, quod ingredienti terram duabus viis sapiens imprecatur, Christianos qui sunt in Creta seu etiam ubicunque locorum audeant impugnare, sed votum suum contra inimicos crucis cum puritate debita prosequantur. Duci quoque ac populo supradictis simili modo inhibere curetis ne contra inhibitionem præscriptam aut culpabiliter ipsi veniant, aut peregrinos iamdictos dampnabiliter venire compellant. Quod si non omnes &c. alter vestrum ea nihilominus exequatur. Datum Laterani **1111**. Kalend. Martij, pontificatus nostri anno duodecimo.

CLERICIS ET LAICIS
peregrinis in Candida civitate Cretæ morantibus.

Angit nos cura sollicitudinis pastoralis &c. *ut in alia usque* in contrarium spei nostræ, vos & nonnullos alios peregrinos &c. *ut supra usque* peccatum redundet illorum, venerabilibus fratribus nostris Patriarchæ Aquilegenſi & Episcopo Paduano dedimus in præceptis ut dictos Ducem & populum efficaciter moneant & inducant ut de cetero ab huiusmodi abstinentes &c. *ut in alia usque* venire compellant. Quocirca univertatatem vestram monemus attentius & hortamur, sub eadem vobis interminatione mandantes quatinus & vos quæ superius sunt expressa quantum in vobis fuerit efficaciter observetis, & denuntietis aliis peregrinis inviolabiliter observanda. Datum Laterani **1111**. Kalend. Martij, pontificatus nostri anno duodecimo.

NOBILI VIRO HENRICO
Comiti Malte.

Litteras quas nobis tua devotio destinavit ea qua decuit benignitate recepimus, & earum tenore perspicaciter intellecto, prudentiam tuam in Domino commendamus, quod & ad succursum terræ sanctæ ferventer aspiras, & ad honorem apostolicæ sedis diligenter intendis, devotum in utraque respectum habens ad Deum, pro cuius reverentia huiusmodi propositum concepisti, à quo, si voluntatem ad actum perduxeris, mercedem, non solum æternam, sed temporalem etiam consequeris, cum secundum Apostolum pietas promissionem habeat vitæ quæ nunc est pariter & futuræ. Sanè pensatis omni-

Tom. II.

bus circumstantiis rerum & personarum, temporum & locorum, vix aliquid aliud etiam secundum seculi statum de negotio Cretæ potuisti prudentius meditari quam quod per dilectum filium magistrum Petrum Acconensem nuntium tuum, virum utique providum & fidelem, nostro apostolatusi suggestisti. Quia verò in litteris per eundem directis non expressè vidimus contineri ut ea quæ super eodem negotio idem nuntius nobis ex tua parte proponeret crederemus, quantumcunque te in Domino diligamus & ad tuum velimus intendere commodum & honorem, habito super hoc consilio diligenti, ad præsens non vidimus aliud respondendum nisi quod intellectis quæ idem nuntius à nobis audita tuæ discretioni retulerit, & dilectus filius noster Petrus tituli sancti Marcelli Presbyter Cardinalis per suas tibi litteras plenius intimabit, super iis omnibus per litteras & nuntios nobis tuam intimare studeas expressis voluntatem, ut ita demum plenius & certius procedere valeamus. Quid autem pro tuo jam emolumento scribamus, litteræ nostræ, cum sint patentēs, te poterunt edocere. In quo considerare te volumus nostri circa te cordis affectum. Ad hæc, devotionem tuam rogandam duximus & monendam, per apostolica tibi scripta mandantes, & in remissionem peccaminum injungentes, quatinus ad subventionem & defensionem terræ sanctæ diligens studium & operam efficacem impendas, ut ille dirigat vias tuas à quo gressus hominis diriguntur. Datum Laterani **vi**. Kal. Martij, pontificatus nostri anno duodecimo.

NOBILI VIRO RICARDO
germano nostro, Sorano Comiti.

Cum castrum Vallis Montonis pro multa & magna pecuniæ quantitate sub gravibus esset pignoratam usuris, ita ut de alienatione ipsius multiformiter ageretur, nos præcavere volentes ne ad illos forsitan perveniret per quos tam apostolica sedes quam Lateranensis Ecclesia necnon & tota vicinia grande ac grave incurreret detrimentum, cogitavimus emere idem castrum. Sed cognoscentes quod Lateranensi Ecclesiæ dispendium generaretur si castrum ipsum immediatè ad sedem apostolicam perveniret, sicut etiam Prior & Canonici ejusdem Ecclesiæ à nobis consulti sunt multotiens protestati, nos habita deliberatione prudenti, ex omni parte providere volentes, castrum ipsum de illorum fecimus emi consensu, partim

P p ij

Epist. 1.
De libri
reputant
ad locum
Vide
Innoc. III.
cap. 1. ab

Epist. 1.
De eodem ar.
genum.

Epist. 4.
De negotio
Cretæ, & de
ludibus ejus-
dem Henrici.

Epist. 5.
Ei confirmat
castrum Soranum.